



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio XVIII. De pertinentibus ad vnitatem in Christo quantum ad
voluntatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

nam verò etiam acquirere esse tanquam terminum formalem; & proinde personam non posse dici acquirere esse cum exclusione naturæ, seu quasi natura non nisi per personam acquirat esse: quia etiam dici potest quod natura fiat, producatur & acquirat esse.

Ad alteram partem similiter dico terminum ultimum & totalem generationis esse ipsum suppositum, terminum verò formalem esse ipsam formam, quæ per generationem acquirit esse, vel saltem vnitur materiæ & corpori. Vnde ex eo quod suppositum sit terminus humanitatem in Christo debere habere esse, seu existentiam increatam.

Obijciunt 4. ex secunda sententia sequitur Verbum existeret per existentiam creatam, & illam esse Verbi perfectionem.

Resp. negando sequelam; solum enim sequitur quod in quantum homo existat per existentiam creatam, non verò absolute; quia ut res dicatur absolute & simpliciter per aliquid existere, necesse est ut intrinsecè habeat huiusmodi existentiam: Verbum autem non habet intrinsecè existentiam creatam.

Obijciunt 5. de fide est quod B. Virgo sit & vere dicatur mater Dei; non posset autem dici mater Dei, nisi humanitas in Christo existeret existentia increata Verbi; ergo. Minor prob. ut dicatur mater Dei debet attingere esse diuinum: atqui illud non attingeret nisi existentia naturæ humanæ sit increata; cum tota actio B. Virginis solum versaretur circa creatum.

Aliqui tanti hoc argumentum faciunt ut, nisi obstat auctoritas tam multorum sententiarum naturam humanam in Christo habere propriam existentiam, propter illud censerent eam sententiam esse improbabilem, & parum fidei consentaneam. Verum tantum abest ut hoc argumentum faciat pro priore sententia, ut potius non leuiter ei aduersetur quod ostenditur: B. Virgo neque potuit producere existentiam increatam, ut patet ex terminis, neque potuit illam communicare actione quæ attingat existentiam increatam, neque etiam actione quæ attingat creaturam, camque applicet existentia increata, cum huiusmodi actiones sint supernaturales, quas non potest creatura virtute sua naturali attingere.

Conf. 1. si hoc sufficiat, posset aliqua dici mater si supernaturaliter à Deo assumeretur ad vniendum diuinæ existentia: aliquam naturam præexistente: quod tamen dici nequit.

Conf. 2. actio, ratione cuius aliqua dicitur mater, ex sua naturali conditione est vitalis & procedit à principio vitali: atqui actio quæ natura humana vnitur diuinæ existentia non proveniret à principio vitali, quia non magis repugnat pro huiusmodi vniione assumi agens inanime quam animatum.

Conf. 3. mater concurret tanquam agens principale ad actionem ratione cuius dicitur mater: quid autem aliud præstiterit B. Virgo, constat non potuisse concurrere ad actionem vnitivam humanitatis cum existentia increata; igitur ratione illius non dicitur mater, & per consequens hæc actio non requiritur in Virgine ut dicatur mater; & proinde ex eo quod B. Virgo sit mater Dei, non aptè colligitur quod humanitas Christi debeat existeret existentia increata: cum ut patet ex dictis non aliunde concludatur, quam quod mater Dei debeat sua actione attingere esse diuinum.

Conf. 4. generatio est actio naturalis, & solum respiciens esse naturale.

Ad argumentum ergo in formâ Resp. neg. minorem, ad cuius probationem Resp. dist. maiorem: debet attingere esse diuinum tanquam terminum formalem actionis seu generationis, nego: debet attingere tanquam terminum ultimum & totalem actionis, concedo. Iuxta quem sensum nego minorem, quia terminus actionis ultimus & totalis non definit esse diuinus, quamvis existentia humanitatis sit creata. Cum ergo terminus ultimus actionis B. Virginis sit diuinum suppositum, seu suppositum Filij Dei, verè & propriè dicitur mater Dei, vel mater Filij Dei; quia videlicet concurret ad productionem humanitatis, quæ eodem tempore est in diuino supposito, & quæ productio ultimò tendit ad suppositum diuinum subsistens in natura humana. Cum ergo B. Virgo respectu Filij Dei ut subsistentis in natura humana præstet quod alia matres præstant in generationibus alijs, ratione quarum dicuntur matres; ea etiam verè dicitur mater, siue humanitas existat existentia increata siue creatâ.

Dices actio B. Virginis nullo modo tendit ad suppositum diuinum, cum prius naturâ existant partes humanitatis quàm à Verbo assumantur, ut ex dictis patet.

Communiter respondetur licet prius intelligatur terminus formalis productus quàm vnitus Verbo, tamen B. Virginem dici matrem Dei, cum eodem instanti temporis humanitas reipsa vniatur Verbo, & ita Deus sit ultimus terminus. Verum id non videtur carere difficultate; cum tunc vel actiones sint tantum concomitantes, vel generatio sit naturâ prior, quæ nisi accederet, alia actio non posset sortiri rationem productionis Filij Dei. Vnde

Resp. ex dictis partim q. 6. art. 5. dub. 3. partim q. 2. art. 7. dub. 4. in fine. Diximus enim illâ q. 6. partes prius à Verbo assumptas quàm inter se unitas. Cum ergo B. Virgo concurrerit ad vniorem partium quæ prius naturâ erant unitæ Verbo, sequitur quod eius actio non concomitanter nec per accidens ratione alterius actionis coniuncta, sed per se & immediatè habuerit pro termino totali diuinum suppositum subsistens in natura humana; atque ita commodissimè inueniatur actio propter quam dicitur mater Dei.

Quamquam & prior solutio quæ est communis non sit improbabilis, in quam reipsa incidunt Thomistæ, qui censent B. Virginem concurrisse ad productionem humanitatis sub ratione essentialis, quæ reipsa coniuncta est subsistentia & existentia increata; quod satis constat debuisse fieri per diuersas actiones.

QVÆSTIO XVIII.

De pertinentibus ad unitatem in Christo quantum ad voluntatem.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Christo sint due voluntates?



ESPONDET affirmatiue.

Notandum præter eos qui vnam in Christo ponebant naturam, de quibus actum est supra q. 2. & eos qui negabāt

Resp. Actio B. Virginis quæ ratione se habuerit ad suppositum diuinum.

22.

Replica.

Resp.

23.

Partes prius fuerunt assumptæ à Verbo, quæ B. V. ad eam vniorem concurrerit.

Resp. affirm.

1.
Monothelita
Hære-
tici.

Conclus.
est de fide.
6. Syn.
Conc. Lat.
Agatho PP.

Matth. 26.
Luc. 22.
Ioan. 5.

2.
Monothelita
negabant huma-
nam volun-
tatem.

Vnitatis
positi non
facit ut sit
vnica vo-
luntas.

Concilia &
Patres vo-
luntatis
operantur

3.

Monothelita
videtur etiam
negasse ip-
sam poten-
tiam huma-
næ volun-
tatis.

Verbum assumpsisse animam rationalem, de quibus q. 5. qui ex consequenti debebant negare duplicem in eo reperi voluntatem; alios, licet pluralitatem naturarum in eo admitterent, asseruisse tamen vnā voluntatem, qui propterea Monothelita dicti sunt; contra quos coacta est 6. Synodus generalis, in qua eorum error est condemnatus. Hi verò fuerunt Cyrus Archiepiscopus Alexandrinus, Sergius & plures eius successores in sede Constantinopolitana, Macarius Antiochenus Archiepiscopus.

Itaque conclusio S. Th. de fide, definita in 6. Synodo actione 8. vbi approbatur epistola Agathonis citata actione 4. definita est etiam actione 17. & in Concilio Lateranensi, sub Martino 1. can. 10. & quinque seqq.

Probat Agatho Papa actione 4. citata ex Matth. 26. & Lucæ 22. quibus locis aperte tribuitur Christo humana voluntas. Idem ostenditur ex cap. 5. Ioannis, vbi Christus dicit, *non quero voluntatem meam, sed eius qui misit me.*

Idem probat optimā ratione: Christus est perfectus Deus & perfectus homo; ergo habet vtramque naturam proprietatibus naturalibus perfectam; igitur humanam voluntatem, quæ consequitur naturam humanam. Eadem doctrina est sanctorum Patrum, ut testatur 6. Synodus & Concilium Lateranense canonibus citatis; vbi

Aduerte 1. Concilia & Patres non esse sollicitos probare in Christo diuinam voluntatem, quia Monothelita eam non negabant, sed solum humanam; quam, ut colligi potest ex Agathone, negabant propter vnitatem diuini suppositi, contra quos optimē ratiocinatur ostendens vnitatem suppositi non efficere ut sit vna voluntas; alioquin cum in Deo sint tres personæ, tres deberent esse voluntates, quod dici non potest. Igitur vnitatis vel pluralitas voluntatum petenda est ex vnitatem vel pluralitate naturæ, cum ea sit proprietates naturæ rationalis; vnde cum sit de fide duas in Christo esse naturas, easque rationales; consequens est ut in eo consistenda sint plures voluntates.

Aduerte 2. prædicta Concilia & Patres non solum velle asserendas duas voluntates in Christo quantum ad ipsas potentias, sed etiam inueniri actus & operationes vtriusque potentia: quod clare patet ex prædictis definitionibus. Idem patet ex scripturæ locis citatis & alijs, vbi potissimum agitur de actu voluntatis humanæ. Adde sine actu voluntatis humanæ non esse obedientiam, meritum, satisfactionem, quæ ex Scriptura constat conuenisse Christo.

Imò aliqui censent Monothelitas non negasse ipsam potentiam voluntatis humanæ, neque negasse pluralitatem actionum, sed dum negarunt plures voluntates & operationes voluisse in Christo solum fuisse vnum affectum efficacem voluntatis, à quo tanquam primo motore pendunt omnes motus & actiones, quod colligunt ex quibusdam verbis 6. Synodi.

Verum si perpendantur rationes Agathonis, videntur etiam negasse ipsam potentiam; cum ea proprie dicatur proprietates naturæ, actio verò non ita soleat appellari, & concessa potentia voluntatis humanæ nulla subesset ratio negandi eiusdem actum. Adde tamen sententiam hæreticorum etiam hoc sensu intellectam esse erroneam, cum non sola diuina voluntas, sed etiam humana motus liberos in Christo habeat, & seipsam possit applicare ad opus; similiter & inferiores potentias; & in illo

etiam sensu 6. Synodum & Concilium Lateranense agere contra prædictam hæresim.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Christo fuerit aliqua voluntas sensualitatis præter rationis voluntatem?

PER voluntatem sensualitatis D. Th. intelligit appetitum sensitivum, cuius appellationis rationem reddit in textu, &

Respondet affirmatiue, quia natura humana in Christo fuit perfecta, & per consequens in eo fuit appetitus sensitivus, qui in cæteris hominibus inuenitur.

ARTICVLVS III.

Vtrum in Christo fuerint duæ voluntates quantum ad rationem?

INTELLIGIT de voluntate humana, &

Respondet si voluntas sumatur pro potentia, vnā in Christo fuisse voluntatem; si verò sumatur pro actu voluntatis, fuisse duas, scilicet voluntatem seu actum voluntatis circa finem, quæ vocari solet voluntas *de natura*, & voluntatem quæ versatur circa media, quæ vocatur voluntas *de ratio*.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in Christo fuerit liberum arbitrium?

AFFIRMAT. Patet ex Isa. 53. *oblatus est quia ipse voluit.* Probat S. Th. ex eo quod in Christo fuerit electio; ergo libertas. Ex quo

Notandum S. Tho. non solum velle fuisse in Christo liberum arbitrium, id est, ipsam potestatem voluntatis, quæ dicitur liberum arbitrium, sed etiam actum. Vult enim Christum per humanam voluntatem in varijs liberè fuisse operatum: quod patet ex ratione ab illo allata. Nec solum vult in eo reperi libertatem oppositam coactioni, sed etiam oppositam necessitati, seu talem, per quam ita operaretur, ut posset non operari, ut posset hunc speciem actum ponere, vel alium specie.

Quæ doctrina sequitur ex ratione S. Th. nam electio non solum priori modo est libera, sed etiam posteriori; & cum in Scriptura dicitur, *oblatus quia ipse voluit*, loco citato; item Ioannis 10. *ponere animam suam* & se ipso, designatur libertas proprijsimè dicta; quæ etiam ita requiritur ad meritum, ut ne de potentia quidem absoluta ratio meriti sine tali libertate possit in aliqua operatione reperi.

Vnde planè improbabilis est sententia quorundam quos citat Suarez disp. 17. sect. 2. qui ex eo solum capite censent voluntatem humanam Christi fuisse liberam, quod non operaretur coactè.

Quamuis dicta ita se habeant, difficile tamen est explicare Christi libertatem, suppositis ijs quæ constat interuenisse in mysterio Incarnationis. Itaque

D V.

D V B I V M.

*In quo conciliatur libertas cum Christi im-
peccabilitate & alijs quæ reipsa in
Christo inuenta sunt?*

NOTANDUM 1. ex dictis q. 15. in Christo non fuisse libertatem ad peccandum; quia, ut constat ex ibidem dictis, humana eius voluntas non poterat deflectere ab eo quod est secundum rationem, eratque suæ regulæ firmissimè coniuncta. Adde libertatem ad peccandum nullam dicere perfectionem, quam præinde non decuit assumi etiam si concederetur Christum de potentia absoluta potuisse peccare; nam licet libertas sit maxima perfectio quæ etiam Deo convenit, tamen ea potest perfectissima inveniri sine libertate ad peccandum, ut patet in Deo, qui perfectissimè liber nullo modo potest peccare. Conf. ex August. cap. 15. libri de prædestinatione sanctorum dicente, *an ideo in illo non libera voluntas erat ac non tamen magis erat, quam magis peccato servire non poterat?*

Notandum 2. Christum Dominum ab initio suæ conceptionis Deum clarè vidisse, & amasse amore consequente beatam visionem; & quidem prius secundum ordinem naturæ quam vili alium actum eliceret. Decebat enim animam Verbo hypostatice unitam statim ab ortu suo Deo perfectissimè etiam vitaliter per operationes coniungi, & perfectissimo modo ad illum conuerti priusquam censeretur circa vlla alia obiecta versari.

Notandum 3. illum eundem ab initio suæ conceptionis saltem ratione status beatifici nouisse omnes suas actiones quas toto vitæ decursu erat operaturus, & quidem cum omnibus circumstantiis, cum ut vidimus q. 10. ratione status beatifici moueret omnia quæ Deus nouit scientiâ visionis saltem futura vique ad diem iudicii.

Ex his oritur difficultas; cum libertas sit fit contradictionis seu quoad exercitium dicat indifferetiam ad faciendum vel non faciendum, ita ut qui est liber libertate contradictionis, possit facere id respectu cuius dicitur habere talem libertatem: libertas verò quoad specificationem requirat ut possit poni talis actus specie, vel eius contrarius, vel saltem alius alterius speciei. Ijs autem suppositis quæ notauimus, videtur agere apparere quomodo in Christo alterutra libertas possit consistere. Ita enim potest argui.

1. Humanitas in Christo ratione vnionis hypostatice reddita est impeccabilis; supposita autem impeccabilitate si accesserit præceptum de reali qua, videtur sublata libertas circa tale obiectum; ergo non videtur etiam omnibus alijs præcis liberas consistere cum Christi impeccabilitate. Subsumptum probatur: impossibile est non fieri id quod Christo fuit præceptum; igitur Christus illud necessariò est operatus, & proinde non liberè. Quamuis ergo anima Christi non fuisset beata à primo conceptionis instanti, nihilominus accedente præcepto non videretur liberè operata circa id de quo præceptum erat illi impositum.

Dici quidem posset concessio toto eo quod in argumento proponitur, non sequi Christum non fuisse liberum, seu non fuisse liberè operatum: quamuis enim fuisset necessitatus quoad actus præceptos, cum tamen sit omnino verius non omnes illius actus in specie & cum omnibus circumstantiis

fuisse præceptos, sed eum versatum fuisse circa varias materias absque villo præcepto, v.g. circa materiam temperantiæ tam diu ieiunando, circa orationem &c. non obstante præcepto adhuc in eo saluari posset libertas. Et quamuis non extendetur ad eam multitudinem actuum & obiectorum ad quam se extendit libertas cæterorum, non obstat, cum etiam beati non desinant habere vsum liberi arbitrij quamuis varia necessariò operetur, quæ liberè faciunt viatores.

Verum quamuis hæc ita se habeant, non tamen plenè satisfaciunt; cum omnino verius sit Christum accepisse præceptum de quibusdam, in quorum tamen executione dicitur meruisse, & proinde debuerit circa illa aliquam habere libertatem. Quod huiusmodi præceptum receperit, v.g. ponendi animam pro genere humano suppono ex ex infra dicendis: quod verò similiter meritus fuerit mortem subeundo, suppono ex dicendis q. sequenti de merito Christi.

Dico ergo sepositâ visione beatificâ, de qua postea præceptum non sustulisse libertatem in Christo; quod videtur patere ex Ioannis 10. *potestatem habeo ponendi eam* (scilicet animam) *& potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Neque verò Christus solum fuit liber quia poterat præuenire præceptum, exequendo rem antequam præceptum virgeret: verum etiam liberè operando eo momento quo virgebat præceptum; quia sepositâ visione beatificâ præceptum nullo modo determinat potentiam ad id quod præcipitur, cum solum proponat diuinam voluntatem, quæ propositio seclusis alijs non necessitat vel determinat voluntatem ad vnum. Vnde ad argumentum

Resp. negando subsumptum, & priorè consequentiam probationis; nam ex argumento solum sequitur, ergo si Deus velit necesse est vt res illa ita fiat, & Deo incumbit procurare rem illâ fieri, sic vt si necesse fuerit etiam determinet causam secundam ad id operandum: cum quo optimè consistit quod humanitas Verbo hypostatice unita liberè fuerit operata etiam id quod præceptum est, quia, ut dictum est, præceptum nullo modo efficaci determinauit voluntatem Christi ad actum. Nam Deus præuidens per scientiam conditionatam ad quid liberè illa sese determinaret, potuit illam suæ libertati relinquere & permittere vt liberè exqueretur quod Deus fieri volebat. Et quemadmodum prudens pædagogus volens omnino aliquid à discipulo fieri, præuidens eum suâ sponte facturum non procedit vterius vt eum determinet, sed illum suæ libertati relinquit, alio modo inflexurus si necesse esset: ita Deus aliquid Christo præcipiens & præuidens quod se ad opus determinabit si sibi ipsi relinquatur, non procedit vterius ad determinandam eius voluntatem, determinaturus si ita esset necessarium. Vnde patet quod posito præcepto, in d. absolutâ voluntate per quam Deus vult rem fieri, possit adhuc libertas in Christo reperiri respectu rei præceptæ, etiam si sequatur quod Christus rem illam sit infallibiliter operaturus.

Dices si fuit liber, ergo potuit non facere; ergo potuit peccare.

Resp. concessâ priori conseq. neg. secundam: quamuis enim spectatâ intrinsecâ voluntatis dispositione potuerit operari & non operari, tamen is modus prouidentie debebatur voluntati ratione vnionis hypostatice cum quo nō posset peccatum consistere. Nam ea ita debebat gubernari, vt si præ-

10.

Non omnino satisfaci-

Respon.

Auctoris.

Ioan. 10.

11.

Nō est imposita necessitas vi præcepti, quia præceptum nō determinat efficaciter potentiam.

12.

Christus quantum est ex intrinsecâ voluntatis dispositione, potuit non facere quod præcipiebatur.

uisa fuisset non consensura alicui auxilio praue-
nienti, aliud esset ei tribuendum, imò determinan-
da esset, si praui fuisset non aliter operatura: vn-
de quatenus suberat diuina custodia non poterat
peccare, licet secundum intrinsecam dispositio-
nem esset libera & liberè operaretur.

Petes quomodo non sequatur voluntatem
Christi determinati ad vnum per praeceptum; eum
illud sit conditio antecedens, quæ non est in pote-
state voluntatis, quâ posita impossibile est non po-
ni effectum.

Vasquez

Propter hoc argumentum Vasquez disput. 74.
cap. 4. §. *tertia solutio* & sequentibus, censet eam
hypothesim tollere libertatem. Verum

Præceptum
præcise sum-
ptum non
immutat
voluntatem.

Resp. licet consequentia sit necessaria, conse-
quens tamen non est necessarium quando condi-
tio nullo modo immutat voluntatem; præceptum
autem præcise sumptum eam non immutat, cum
intrinsecè non aliter afficiat quàm si nullum exte-
ret præceptum, quemadmodum voluntas Dei quâ
vult aliquid fieri ibi sistendo non tollit liberta-
tem rerum, nec immutat naturalem earum ope-
randi rationem.

13.
Secunda ra-
tio dubita-
di, quomo-
do Chri-
stus sit li-
ber.

2. Obiectio eaq; difficilior petitur ex statu bea-
tifico, in quo, vt diximus, communi cōsensu Theo-
logorum anima Christi est creata: inde enim lon-
ge clariùs videtur eueri libertas circa rem præ-
ceptam.

Prob. anima Christi Deum clarè videns eundem
amavit necessariò, & necessariò voluit quicquid
fuit necessarium ad illam amicitiam conseruan-
dam; atqui posito præcepto necessarium fuit illud
implere ad conseruandam amicitiam; igitur execu-
tio præcepti Christo fuit reipsa necessaria. Maior
prob. qui determinatur ad aliquid, ex consequenti
determinatur ad omne id sine quo illud conser-
uari non potest; ergo necessariò amans Deum, in-
trinsecè determinatur ad omne id sine quo diuina
amicitia non potest conseruari, seu quod neces-
sariò requiritur ad conseruandam diuinam ami-
citiam.

Aliquorum
responsio.
Molina.

Aliqui, inter quos est Molina in concordia cir-
ca art. 13. quaest. 14. 1. partis S. Thom. disput.
53. membro 4. §. *illud deinde obseruari*, censet vo-
luntatem Christi miraculosè relictam suæ liberta-
ti; ita vt amor beatificus non determinauerit vo-
luntatem ad præcepti impletionem; quemadmo-
dum anima Christi beata cum summa delecta-
tione supernaturaliter habuit summam tristitia-

Non pro-
bat.

Verum id videtur minus solidum; si enim visio
beatifica & amor inde consequens, naturâ suâ de-
terminet voluntatem ad obseruationem præcep-
torum, ijs permanentibus (imò permanente solâ
visione) non potest non determinari; cum hæc de-
terminatio non fiat per aliquem actum ab amore
distinctum, cuius productionem Deus possit cohi-
bere; sed sit per ipsammet amorem beatificum,
imò per ipsammet visionem, ita vt si Deus suspen-
deret suum concursum ne ex clara visione Dei se-
queretur amor eiusdem, & nullum etiam infunderet
habitu charitatis, adhuc voluntas remaneret
determinata ad obseruationem diuinorum præ-
ceptorum, vt 1. 2. tradunt varij. Ergo anima Deum
clarè videns eumque amans non potest dici rema-
nere libera. Conseq. prob. manere visione & saltem
amore, manet pondus intrinsecum determinans
voluntatem; ergo eo manente non potest dici li-
bertatē retinere circa rem præceptā eo modo quo
asserit Molina. Adde libertatē Christi circa opera

14.
Etiam se-
cluso amo-
re, videns
Deum de-
terminatur
ad obserua-
tionem præ-
ceptorum.

præcepta posse aliter saluari; ergo non est recur-
rendum ad huiusmodi miraculum.

Ad id quod adducitur de delectatione Resp. esse
disparitatem; nam Deus peculiari influxu concu-
rit cum anima Christi ad tristitiam, & per conse-
quens impeditur gaudium ne illam expellat: in
præsenti autem non potest quidquam simile assi-
gnari quo tollatur determinatio voluntatis remane-
nte amore beatifico.

Respondent alij, quòd licet anima Christi fue-
rit determinata ad acceptandum præceptum & respon-
sionem in confuso rem præceptam, singulos tam-
men actus in individuo liberè posuerit. Similiter
quantum ad intentionem. Videri potest Valentia
disp. 1. q. 19. puncto 2. in fine.

15.

Quòd responsum varij reijciunt ex eo quòd li-
bertas quæ solum se extendit ad actus inuiduos
parui sit faciendi in ordine ad mores: si enim ali-
quis sit determinatus ad speciem, parum laudis
consequeretur quòd hunc potius quàm illum nu-
mero actum ponat.

A varijs
pugnatur.

Verum cum in Christo solum teneamur admit-
tere libertatem, vt in eo possimus inuenire meri-
tum, si nullum modum commodiorem possemus
assignare respectu materiae præceptæ, & in eo inue-
nietur aliquis vsus libertatis, sufficeret ad saluan-
dam Christi libertatem; cum, vt dixi, nō teneamur
libertatem Christi defendere omni planè modo
quo in nobis inuenitur. Sed eo modo prætermisso

16.

Resp. non obstante necessitate, quæ necesse fuit
mandari executioni opus præceptum, Christum
illud liberè posuisse, non tantum quoad actus indi-
uiduos, sed etiam quoad speciem actus, ita vt non
tantum liberè posuerit modum, sed etiam ipsam
substantiam & speciem actus. Pro quo

Auctoris
respons.
Christus li-
berè opera-
tus est eni
quoad sub-
stantiam &
speciem ac-
tus.

Notandum quando aliquid præcipitur, solum
præcipi vt id fiat; non verò præcipi certam inten-
tionem vel peculiare motuum virtutis, &c. ita vt
non obstante præcepto aliquis possit liberè ex
hoc vel illo motiuo operari, ex hac vel illa virtute;
& per consequens hanc vel illam speciem & sub-
stantiam actus ponere vel non ponere. Vnde dico
Christum potuisse mortem præceptam acceptare
ex affectu fortitudinis, vel ex affectu obedientie res-
pectu Patris, vel misericordie erga genus huma-
num, vel simili motiuo vno vel pluribus; quæ mo-
tius & rationes formales mutant actus & eos di-
uersificant, & proinde cum singuli fuerint liberi,
Christus dicendus est liberè exercuisse actum talis
speciei circa rem præceptam; cumque actus exter-
nus pendens ab interno censetur eiusdem moris
cum illo, dicendum est passionem externam fuisse
liberam in ratione obedientie, vel sacrificij, vel
fortitudinis.

17.

Vnde sequitur Christum non tantum habuisse
actum reflexum liberè per quem scilicet voluisset
liberè se morti tradere, quamuis nullum illius ha-
buisset præceptum; sed etiam habuisse directum,
quia verè voluit mortem subire ex obedientia er-
ga Patrem, vel vt eum honoraret per sui oblatio-
nem; & proinde voluit liberè mortem in quantum
informata illis internis actibus liberis.

Replica.
Joan. 14.

Dices videtur datum Christo præceptum de
morte subeunda cum omnibus circumstantijs, &
ex certo motiuo; quod videtur insinuari Ioannis
14. sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.

Resp.
Nō videtur
dari Chri-
sto præce-
ptum mor-
tis, cum
omnibus
circumsta-
ntijs.

Resp. negando assumptum; id enim nullo modo
est consentaneū suauitatis Dei dispositioni, qui non so-
let hac ratione præcepta imponere; vnde nisi aliud
virgeat, non debemus asserere Christo impositum

imò

imo non decuit ita eius libertatem coarctari.

Locus Ioannis citatus non vrget, quia Christus ibi solum vult, quod nihil praetermiserit eorum quae a Patre fuerunt ei praecipita; non vero designat praecipita omnes circumstantias & modos operis.

Conformer ad iam dicta, videtur probabilis Deum non praedefinuisse omnes Christi actiones cum omnibus circumstantiis loci, temporis, personarum: quia negari non potest quin haec praedefinitio mirum in modum libertatem constingat, & quoddam fatum inducat in Christi operibus, & proinde non videtur admittenda; cum non videatur decens ut tanta sapientia ita constingatur, ut nihil possit in suis actionibus, cum tamen omnes circumstantias suarum operationum peruaserit. Unde videtur pertinuisse ad suauorem Dei providentiam illum sibi relinquere, non praescribendo locum, tempus, personas, numerum earum, coram quibus operaretur, v. g. hoc vel illud miraculum pararet, praedicaret; cum nunquam eius voluntas deficeret a regula rectae rationis.

Nec obstat illud Ioannis 8. quae placita sunt ei facio semper: quia Christus eo loco nihil aliud vult, quam quod semper operaretur consentaneum diuinae dispositioni, qua Deus voluit ut genus humanum redimeret.

Dices melius est dirigi a regula increata quam a creata.

Resp. non opus esse huiusmodi praedefinitionibus ut voluntas censeatur dirigi a regula increata; sufficit enim illi praebere eum providentiam modum quo nunquam in suis actionibus deficiat; quod sine praedefinitionibus fieri potest, sine quibus etiam potuit voluntas Christi excellentissime operari.

3. Obiectio petitur ex eo quod Christus dominus Deum clare videns & summe amans, necessarium voluerit quidquid magis pertinet ad Dei gloriam; ergo omnia ex necessitate est operatus.

Resp. neglecto antecedente, negando consequens. quia cum varia possint aequae conferre ad Dei gloriam, idque Christus optime cognouerit, ex eo quod in omnibus debuerit quaerere maiorem Dei gloriam, non sequitur quod non fuerit liber in suis operibus.

2. Quamvis inter ipsa opera materialiter sumpta fuisset inaequalitas perfectionis; cum tamen haberent infinitam moralem perfectionem ut ab illo procedebant, habebant infinitam vim honorandi Deum, & eius gloriam promouendi; & ita quodlibet eius opus aliquo minime perfectionis physicae, poterat aequae facere ad Dei gloriam atque perfectissimum. Quamquam iuxta conditionem motui ex quo operabatur, semper fuerit modo excellentissimo operatus; & hac etiam ratione materialiter semper fecerit quod ad maiorem Dei gloriam pertinebat, scilicet iuxta exigentiam actionis & obiecti circa quod versabatur.

Obiectio 4. petitur ex eo quod Christus omnes suos actus, cum omnibus suis circumstantiis praeviderit antequam exercerentur.

Resp. id nihil officere eius libertati; cum enim ea cognitio sit speculativa & posterior ratione quam sit actio quae est illius obiectum, sequitur quod nullo modo tollat libertatem actionis; quia huiusmodi cognitio reperitur in Christo, eo quod actio sit futura, non vero e contrario. Hinc licet sit impossibile in Christo inueniri huiusmodi notitiam, & actum suo tempore non poni, non officit

libertati actionis; quia illa impossibilitas oritur ex hypothesi Christo libera, & naturae posteriore quam sit ipse actus.

ARTICULVS V.

Utrum voluntas humana Christi fuerit omnino conformis diuinae voluntati in volito?

21.

Resp. S. Th.

RESPONDET Christum secundum appetitum sensitiuum & secundum voluntatem consideratam ut naturam potuisse aliud velle; semper autem fuisse conformem in volito secundum voluntatem quae se habet ut ratio.

Notandum 1. S. Th. non velle voluntatem ut praevenerit usum rationis potuisse aliud velle quam Deus velit; quia, ut patet ex dictis, nullus motus voluntatis vel appetitus sensitiui in Christo praevenerit usum rationis. Sensus ergo est, quod voluntas ut tendit in bona naturae consentanea, v. g. in conservationem vitae, vel ut refugit mala naturae repugnantia, v. g. mortem, tormenta; potuerit aliud velle quam Deus absolute velit: quamquam eadem voluntas spectata ut ratio semper fuerit conformis diuinae voluntati, siue quod idem voluerit secundum voluntatem, quae fertur in obiectum secundum omnes rationes consideratum. Quae vera doctrina ut magis luceat:

Sesús resp.

Notandum 2. voluntatem humanam posse tribus modis dici conformem diuinam. 1. secundum se, & ut aliqui loquuntur in genere causae efficientis; quando videlicet ipse motus voluntatis talis est, qualem Deus seu diuina voluntas vult eum esse: quae ratione motus voluntatis quo Abraham volebat filium suum Isaac occidere, erat conformis diuinam voluntati; quia nimirum Deus volebat Abrahamum habere hanc voluntatem, ut sic manifestum fieret quam esset paratus Deo obedire, licet Deus nolleret ut Isaac occideretur.

22.

Voluntas humana potest tribus modis dici conformis diuinam. 1. Modus.

2. In obiecto materiali; quando scilicet idem vult voluntas humana quod vult Deus.

Secundus.

3. In obiecto seu volito formali; id est, quando id quod vult, siue sit idem siue diversum, vult propter eandem rationem formalem. His praenotatis

Tertius.

Dico 1. voluntas Christi efficax & absoluta semper fuit conformis voluntati Dei etiam in obiecto materiali. Patet ex cap. 4. Ioannis, ubi Christus dicit, *meus vultus est ut faciam voluntatem eius qui misit me.* cap. 6. *descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Matth. 26. & alibi. Definita est in 6. Synodo act. 17. Videri potest act. 4. eiusdem Synodi in epistola Agathonis.

23.

Prima conclusio.

Ioan. 4. & 6.

6.

Matth. 26.

6. Syn.

Ratio est quod Christus clare cognoscens diuinam voluntatem, non posset efficaciter tendere in contrarium eius quod sciebat Deum velle. Conferat praeterquam quod id sit maxime imprudentia, est etiam contra rectam rationem velle ut diuina voluntas, quae est rectissima, in irritum cadat.

Dico 2. non tamen tenebatur tendere in obiectum sub eadem ratione formali specifica sub qua Deus tendebat, sed potuit sub alia ratione honesta: quia neque fuit necessarium ad honestatem actionis ut in sua actione spectaret eandem rationem formalem specificam, quam spectabat Deus; neque erat necessarium, ut praecceptum adimpleret, quia non est verisimile praefixum illi fuisse sub qua ratione formali deberet ferri in obiectum materiale; neque tertio fuit necessarium, ut censeretur

Secunda conclusio.

Nō fuit necesse Christum conformare se diuinam voluntati in ratione formali specifica.

sele con-

25.

Tertia con-
clusio.Potuit affe-
ctu simplici
habere motus diffor-
mes efficiendi
voluntati
Dei.
Matth. 16.

se se conformare diuinæ voluntati, cum ad hoc sufficeret. 1. ut non displiceret ei ratio, sub qua Deus volebat illam actionem. 2. ut eandem actionem vellet sub aliqua ratione honesta; sic enim abunde se se conformabat diuinæ voluntati etiam in obiecto formali in genere.

Dico 3. voluntas humana Christi potuit simplici & inefficaci affectu habere motus difformes efficiendi voluntati Dei.

Patet ex Matth. 26. vbi Christus orauit dicens, *Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ex cuius priori parte patet motus quo voluntas Christi refugiebat mortem tanquam naturæ contrariam; posteriori parte patet quod eandem vellet voluntate efficaci; & spectatis omnibus circumstantiis paratus esset obire, ut genus humanum redimeret, & diuinam voluntatem absolutam adimpleret.

Aduerte tamen hunc ipsum motum inefficacem fuisse conformem diuinæ voluntati 1. modo à nobis relato, id est secundum se, & tanquam suæ regulæ & causæ efficienti, quia Deus voluit ut Christus in se excitaret hunc motum fugæ mortis & doloris, ad declarandam veritatem naturæ humanæ & acerbiter penarum quas pro genere humano erat subiturus.

Quæstione.

Petes an per simplicem affectum iam descriptum voluntas humana Christi fuerit difformis diuinæ voluntati solum respectu obiectorum naturæ incommodorum?

Resolutio.

Resp. potuisse etiam esse difformem respectu aliorum; nam simplici affectu Christus etiam doluit de perditione reprobatorum, de vastatione Iudæorum, idque propter rationes sublimiores.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in Christo fuerit contrarietas voluntatum?

Resp. neg.

26.

RESPONDET negatiuè. 1. non fuit contrarietas inter voluntatem diuinam & humanam, nec vlla formalis repugnantia, ut patet ex dictis art. precedenti; quia omnis voluntas efficax in Christo fuit conformis diuinæ voluntati etiam in obiecto materiali, & aliquo modo in formali: inefficax autem fuit cōformis sibi secundum se, ut etiam patet ex dictis; non potuit ergo in eo esse contrarietas voluntatis humanæ respectu diuinæ. Adde motus inefficaces non fuisse de obiecto sub eadem ratione formali, sub qua Deus contrarium volebat; neque eò spectasse ut diuinam voluntatem efficacem irritam redderent vel retardarent.

6. Syn.
Conc. Lat.

2. Nec fuit contrarietas voluntatum in Christo. Est definitum in 6. Synodo act. 4. & 17. & in Concilio Lateranensi sub Martino 1. can. 15.

Prob. omnis Christi voluntas fuit honestissima & prudentissima; ergo non potuit in eo esse voluntatum contrarietas.

Conf. voluntates quæ videntur fuisse contrariæ non tetenderunt in obiectum sub eadem ratione formali, & Christus per inefficacem non conabatur aliam impedire.

QVÆSTIO XIX.

De pertinentibus ad unitatem Christi quantum ad operationem.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Christo sit tantum una operatio diuinitatis & humanitatis?



EGAT. quæ doctrina est de fide explicata superiori quæstione art. 1. Videri potest 6. Synodus act. 2. 4. 8. 17. & Concilium Lateranense sub Martino 1. can. 15.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Christo fuerint plures operationes humanæ?

NOTANDVM S. Thom. non querere an in Christo fuerint plures operationes quoad entitatem, cum constet fuisse plures & numero & specie distinctas; sed vtrum fuerint plures quoad rationem principij, &

Responder vnam fuisse operationem humanam, imò omnes in eo fuisse humanas: quæ resolutione nihil aliud vult, quàm quod omnes Christi operationes etiam partis vegetatiuæ processerint ex perfecto iudicio & vsu rationis, & ex imperio voluntatis. Excipitur visio beatifica; quæ tamen eo sensu potest dici humana, quod procedat ex pleno vsu rationis.

ARTICVLVS III.

Vtrum actio humana Christi potuerit esse sibi meritoria?

AFFIRMAT; docens Christum meruisse gloriam corporis, & ea quæ pertinent ad eius excellentiam. In quo S. Tho. supponit Christum verè meruisse; quod licet sit verissimum, tamen paulò fufius est ostendendum.

DVBIVM I.

Vtrum Christus verè & propriè meruerit?

RESP. affirmatiuè. est de fide. Patet ex omnibus locis Scripturæ, quibus Christus dicitur nos redemisse sanguine suo, nos esse de fide. lauiffe à peccatis nostris, acquisiuisse Ecclesiam sanguine suo. Videri possunt dicta q. 1. art. 2. dub. 3. Patet etiam ex cap. 53. Isaia: *scilicet posuerit pro peccato Israh. animam suam, videbit semen longæum.* Ad Rom. 5. *sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Ad Philippenfes 2. *factus obediens usque ad mortem &c. propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* Vbi præpositio, propter, designat causam meritoriam. Psalmo 44. *Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo latiss.* Quo loco particula, propter, licet